



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Qvae Ad Cvltvm Ecclesiarum pertinent. Sacerfons.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

# DECRETA GENERALIA VISITATORIS APOSTOLICI

IN SYNODO DIOECESANA

MEDIOLANENSI V.

Iussu Illustriss. & Reuerendiss. Caroli Cardinalis Archiepiscopi  
De suggestu lecta, & promulgata, vt infra.

Carolus S. R. E. Presbyter Card. Tit. S. Praxedis, Dei, & Aposto-  
lica sedis gratia S. Mediol. Eccl. Archiep.

Præfatio ad lectionem decretorum Visita-  
toris Apostolici.



ICVT vtile saluta-  
re; est, ac necessa-  
riū visitādi manus:  
ita illud in vrbe dig-  
cessiq; nostra Medio-  
lanensi Visitator A-  
postolicus Reueren-  
dissimus Episcopus Famaugustanus vti-  
liter accuratēq; præstitit. Quare vt cum  
urbis diœcesisq; nostræ utilitati atque  
spiritualibus pgressionibus seruiamus;  
tum maximè etiā satisfaciamus, & debi-  
to obedientiæ officio, & piæ vigilantis  
illius Episcopi sollicitudini, & ardenti  
desiderio, quo decreta illa exequendi te-  
nemur: vobis vniuersis, & singulis, per  
quos illorum executio diligenter præ-  
standa est, ea ipsa decreta iam pridè vo-  
bis edita, in hoc diœcesano conuentu  
etiā atque etiā studiosè repēti incul-  
cariq; mandauimus.

## DECRETA GENERALIA

A Reuerend. D. Hieronymo Epi-  
scopo Famaugustæ, Apostoli-  
co Visitatore Sanctæ Me-  
diol. Ecclesiæ con-  
fecta.

Quibus tamen de particularibus Decre-  
tis nihil derogatur. in ijs scilicet, in  
quibus contra, non præter ipsa gene-  
ralia quidquam statuitur.

QVÆ AD CVLTVM  
Ecclesiarum pertinent.

### SACER FONS.

NON baptizetur in ijs Ecclesijs,  
in quibus sacer Fons nullus est.

Sex verò mensium spatio transacto &  
Decretorum horum editione, non bap-  
tizetur in ijs sacris Fontibus, qui infra  
notata sigillatim descripta non habe-  
bunt: sed ad viciniorem Ecclesiam eius-  
dem Portæ, vel Regionis in vrbe, Ple-  
bis autem in Diœcesi infantes deferen-  
tur ad baptizandū, in qua Ecclesia Fons  
ipse ad eam formam erit redactus:  
Quod si nullus in ipsa Plebe, aut Regio-  
ne Urbis eiusmodi Fons reperietur (ab  
eadem Plebe, aut Regione, nisi aliter  
aliquando Reuerendissimo Archiepi-  
scopo videbitur, non recedendo) in eo  
Fonte interea baptizetur, qui Vicarij  
Foranei in Diœcesi, in Vrbe verò Præ-  
fecti Portæ, vel alterius ad id electi à  
Reuerendissimo Archiepiscopo iudi-  
cio, plura, ac potiora habebit ex re-  
quisitis.

Quæ quidem hæc sunt.

1 Petra, non lateritia, sed è marmo-  
re constans, vel è solido lapide: si qua  
verò eiusmodi Petra reperietur, qua  
tuta non sit, & aqua effluat, Vas in ea

L 3 ram-